

In summa ingenii felicitate, qua in puerilibus statim annis insignis admirabilisque visus erat, ita ut inter praecocioris ingenii pueros referretur, eam nactus erat disciplinam domesticam, ut in parentum tutela singulari, cum nullam aliam sobolem suscepissent, omnisque cura in eo nutriendo ac fovendo contineretur, ille viveret, nunquam alterius curae, nec institutioni publicae traditus, in fortuna nec lauta nec nimis tenui, matre ad industriam et frugalitatem composita matrona, patre autem Iurium Doctore Iuriumque disciplina tradenda lectionibusque privatis habendis familiae alendae curae totum se consecrante; ita ut etiam puerum partim ipse sua opera institueret, partim sermonibus proficuis ingenium excitaret et notiorum varietate locupletaret. Accedebat auunculus maternus, qui et ipse vir doctus erat, causis agendis clarus, et linguarum recentiorum aetatum peritus, bonorumque librorum copia instructus, qui caritate nepotem singulari complectebatur. Ita evenit, ut puellus domestico exemplo usque mature adsuesceret vitae in litterarum studiis intra domesticos cancellos exigendae, cum ab externis rebus, quae ad vitae iucunditates et voluptates animum mollem deflectere et auertere possent, intactus et intentatus maneret.

Ita ille, inter lusus pueriles et disciplinam nec nimium severam, qua ex studii assiduitate intempestiva corporis vires debilitarentur, nec nimis remissam, qua inertia ipsa et mollitia corumpere, ad iuvenilem aetatem progressus, duo habuit vitae praesidia, raro naturae et fortunae munere; primo, quod valetudine prospera et inoffensa semper est usus, tum vero, quod in fortunae nec affluentia nec tenuitate constitutus, aequabili vitae generi assuetus et studiis litterarum disciplina domestica exemploque imbutus, animum a molestis curis vacuum vnice studiis dicare potuit. Quod enim multorum, qui studiis litterarum vitam consecrarunt, corpora viresque infringit, valetudinemque infirmat, non tam studii est assiduitas, quam aut animi curis sollicitudinibusque de vitae studiorumque subsidiis afflicti aerumna, aut victus cultusque tenuitas, aut vitae casibus grauibus oppressae difficultas. Is itaque, cui divinae alicuius providentiae beneficio ea contigerunt, quibus liberatur a curis mordacibus animus, si in studiis litterarum cum ardore aliquo versatur, non habet magnopere, quo timeat, ne, libris insudando, corporis valetudini officiat, dummodo nec in contraria delatus, vitae praesidiis opibusque nimium lautis instructus, aut se instructum esse arbitratus, modo voluptatum illecebris fasciatus cibo potuque se ingurgitet, modo inertia et desidia corpus molliat. Kaestnerus itaque in fortunae

tunae